

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Beantwortung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung:

(3) Evidem tunc rerum naturae gratias ago cum illam non ab hac parte video qua publica est, sed cum secretiora eius intravi, cum disco quae universi materia sit, quis auctor aut custos, quid sit deus, totus in se tendat an et ad nos aliquando respiciat, faciat cotidie aliquid an semel fecerit, pars mundi sit an mundus. ∴ (4) Nisi ad haec admitterer, non tanti fuerat nasci. Quid enim erat cur in numero viventium me positum esse gauderem? An ut cibos et potionē percolarem? Ut hoc corpus causarium ac fluidum, peritumque nisi subinde impletur, farcirem et viverem aegri minister? Ut mortem timerem, cui uni nas- cimur? Detrahe hoc inestimabile bonum, non est vita tan- ti ut sudem, ut aestuem. (5) O quam contempta res est ho- mo, nisi supra humana surrexerit! Quamdiu cum affectibus collectamur, quid magnifici facimus? Etiam si superiores sumus, portenta vincimus. Quid est cur suspiciamus nos- met ipsi quia dissimiles deterrimis sumus? Non video qua- re sibi placeat qui robustior est in valetudinario. (6) Multum interest inter vires et bonam valetudinem. Effu- gisti vitia animi, non est tibi frons ficta nec in alienam voluntatem sermo compositus nec cor involutum nec avaritia, quae quicquid omnibus abstulit sibi ipsi neget, nec luxuria pecuniam turpiter perdens, quam turpius repa- ret, nec ambitio quae te ad dignitatem nisi per indigna non ducet: nihil adhuc consecutus es, multa effugisti, te nondum. Virtus enim ista quam affectamus magnifica est, non quia per se beatum est malo caruisse, sed quia

animum laxat et praeparat ad cognitionem caelestium dignumque efficit qui in consortium deo veniat. (7) Tunc consummatum habet plenumque bonum sortis humanae cum calcato omni malo petit altum et in interiores naturae simum venit. Tunc iuvat inter ipsa sidera vagantem divitum pavimenta ridere et totam cum auro suo terram. .. (8)
Non potest ante contemnere porticus et lacunaria²⁾ ebore fulgentia et tonsiles silvas et derivata in domos flumina quam totum circumit mundum et terrarum orbem superne despiciens angustum et magna ex parte opertum mari, etiam ea qua exstat late squalidum et aut ustum aut rigentem sibi ipse dixit: "Hoc est illud punctum quod inter tot gentes ferro et igne dividitur? O quam ridiculi sunt mortalium termini!"

1) percolare durchseihen

2) lacunar Kassettendecke

II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Welche Funktion hat der Indikativ in "tanti fuerat nasci" (4)?
2. Welche Blickrichtung ist (5) in "suspiciamus" vorausgesetzt?
3. Wie sind die Adjektive "angustum .. opertum" (8) gebraucht?